DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

ERYSIPELATIS SINGULARE EXEMPLUM

PRAEMISSA DE HUJUS MORBI NATURA COMMENTATIONE.

QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CARLO FRIDERICO
MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.
CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN LITTERARUM UNIVERSITATE JENENSI
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
DIE III M. MAII A. MDCCCXXXVII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS ALEXANDER NITZSCHE
VIMARIENSIS.

JENÆ
TYPIS BRANII.

VIRO PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO

JOANNI CHRIST. STARK

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI
ORDINUM SAXO-VIMAR. FALCONIS ALBI RUSS. ST. VLADIMIRI ET DOMUS SAXO-ERNESTINAE EQUITI SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXO-VIMARIENSIS ET ISENACENSIS A CONSILIIS AULICIS INTIMIS ET ARCHIATRO ACTUALI MEDICINAE PROF. P. O. FACULTATIS MEDICAE ADSESSORI COLLEGII SUPREMI RES MEDICAS PER TERRAS SAXO-VIMARIENSES DIRIGENTIS MEMBRO INSTITUTI CLINICI ET OBSTETRICII A MAGNO DUCE FUNDATI DIRECTORI PRAEFECTURAE ET CIVITATIS JENENSIS PHYSICO COMPLURIUMQUE SOCIETATUM SODALI.

VIRO PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO

GUIL. CAR. FRID. SUCCOW

MEDICINAE CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI
ORDINIS DOMUS SAXO-ERNESTINAE EQUITI
SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXO-VIMARIENSIS ET ISENACENSIS A CONSILIIS AULICIS INTIMIS MEDICINAE PROF. P. O. FACULTATIS MEDICAE ADSESSORI INSTITUTI CLINICI A MAGNO DUCE CONDITI ALTERI DIRECTORI SOCIETATIS MINERALOGICAE JENENSIS ADSESSORI SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE BEROLINENSIS SOCIO LITTERARUM CONSORTIO ADSCRIPTO REL.

PRAECEPTORIBUS ET FAUTORIBUS

PIE COLENDIS

HUNC LIBELLUM SACRUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Multis abhinc saeculis, usu moreque receptum est, ut, quisquis summos in medicina honores adipisci studet, de certo quodam argumento, ex arte medica desumto, publica scriptione disserat. Quod quantum ipsam illam artem promovere atque adjuvare debebat, hoc immensus dissertationum numerus de variis medicinae disciplinis perscriptarum abunde docet. Quantum vero incrementi amplius medicina ex talibus; scriptionibus captura sit, ex auctoritate instituti et vi, eoque otio pendebit, quod singuli quique dissertationibus scribendis impendere vel volent vel poterunt. Quamvis in votis habeam, ut arti medicae graviori quodam doctiorique prosim argumento proponendo, hoc tamen, quod dixi, desiderium meum, nonnisi eo tempore ratum fieri poterit, quo experientia varie edocta, judicium subacte

cultum, otiumque opportunius mihi datum, felicius me sustentabunt. Quae omnia ad magnam partem nunc cum mihi desint, opus videtur, ut mites et aequos huic expostulem dissertationi judices.

Autores, qui de erysipelate morbo exposuerunt.

Richter de erysipelate. Goetting. 1744.

Hellbach diss. de erys. Erfordii 1780.

Thierens de erys. Lugd. Bat. 1790.

Winkel aphorismi de cognoscendo et curando erysipelate. Erlangen 1794.

Ferne de diversa erysip. natura. Francof. ad Viad. 1795.

Desault *Bemerkungen und Beobachtungen über Rose in dessen chirurg. Nachlass.* 2 *Bd.* 4 *Th.*

Kallisen *Syst. der neuen Chirurgie. Kopenhagen* 1822.

Rust *das* Pseudoerysipelas, *eine noch nicht hinreichend erkannte Krankheitsform.* (*Magazin* 8 *Bd.* 3 *Heft*).

Froriep's *Notizen aus d. G. d. N. u. H. Bd.* XXIII, pag. 350 *u. Bd.* XXIV, pag. 176.

Hutchison Practical Observations on Surgery ed. 2. Cap. 3. London 1826.

Praeterea P. Frank, Wels, Burserius Cullen, Richeand, Lewrence, Pearson, Willan, Bateman, Hunter, Cooper etc. in operibus suis de erysipelate scripserunt.

INTRODUCTIO.

Mihi in animo est exponere de erysipelatis tali exemplo, quod memoratu satis dignum videtur. De quo morbo, quid ipse observaverim et animadverterim, huic commentationi mandare placuit. Priusquam vero de hujus morbi singulo casu, quem observavi, accuratius exponam, non videtur a re esse, pauca quaedam in universum de erysipelatis natura ac vi praemittere, de qua sane diversissimae satisque mirae sententiae locum obtinent. Erysipelas, nomen ducit ex verbis ἐρυθρὸς (ruber) et πέλας (prope), quo nomine et color, quo malum manifestatur, et illud, quod proprium habet morbus, ut in partes prope adjacentes serpat, maxime notatur. Est tumor praeter sanitatem in cute, aut quacunque parte carnea, vel membranosa excitatus, rubicundus, flavescens, diffusus, plerumque non multum elevatus, nec pulsans, sed cum dolore urente. Aliquando elevatur in bullas, ac si cantharidum emplastris essent excitatae. Varias habet differentias, prout altius assurgit, vel plus minusve

elevatum est, aut majori aut minori cum calore, uti erysipelas phlegmonodes, oedematodes, scirrhodes etc.

Plerique et antiquioris et recentioris aetatis qui fuerunt scriptores, in eo consentiunt, ut erysipelas in singulari quadam cutis inflammationis specie esse dicant, unde per consensum et tela cellularis et musculi et aponeuroses interdum afficiantur. Quo factum est, ut non defuerint, qui hunc morbum inter exanthemata numeraverint. Ex quibus facile perspicitur, erysipelas semper in externis organismi partibus conspicuum fieri; in internis partibus non invenitur. Quodsi fuerunt viri, ut Hippocrates et Galenus, qui hoc statuerint, id inde factum esse putandum est, quod morbos metastaticos, per recessum erysipelatis effectos, cum illo ipso permutaverint. Erysipelas nonnisi in cute et oriri et existere poterit; simulac solum sibi quasi patrium morbus reliquerit, et in diversa omnino organa recesserit, alia mali species atque forma apparebit, secundum eam rationem, quam et anatomica et physiologica partium diversitas progignit.

Accuratior sedis descriptio, quam in cute erysipelas obtinet.

Erysipelas inflammatio est. Inflammationis ratio in abnormi quadam organorum vi vitali aucta cernitur; quod incrementum, si

naturam ipsius spectas, secreti aliquid habet, ut vita ipsa, quae illam gignit. Quo fit, ut vitae leges ac formas divinari nobis, et ad regulas quasdam dijudicare liceat, vix tamen quod nobis volumus, certa mathematicorum ratione demonstrare possimus. Quare non id hoc loco spectamus, ut pervarias de inflammationis natura opiniones enumeremus,quae, quamvis ad partem mirae atque incredibiles videantur, satis tamen honorificum testimonium praebeant, de humanae mentis studio, quo et sibi ipsi, et rebus omnibus extra se positis, lucem afferre nititur. Certum est hoc, inflammationis modum a sanguine maxime pendere, qui, quum quasi pater, in vita formet atque procreat, in inflammatione etiam formandi suam facultatem eo acrius exercet. Ita nova efformat vasa sanguifera et carnis granulationes, ita, ut inflammatarum partium massa necessarie extendatur. In qua re non praetermittenda est nervorum vis, qui quasi factores sunt vitae animalis. Mutua tantum vicissitudine utrorumque, et nervorum, et sanguinis, inflammationis ille modus, veluti adaucta vitalis vis efficacitas, cogitari potest. Inde etiam explicandum est, quod in animantibus, in quibus nec nervorum, nec sanguificationis systema satis excultum invenitur, quales sunt vermes, insecta, pisces, qualia amphibia ipsa sunt, ea quae proprie inflammatio dicitur, non animadvertitur. In

avibus denique et quadrupedibus, in quibus vis vitalis major quaedam est, ille etiam effectus, in quo eadem vis vitalis conspicitur, in inflammatione apertius apparet. Inde sequitur, ut morbus iste nonnisi in iis organorum partibus existere possit, quae nec nervis, nec sanguine carent. De cute id nonnisi ad partem valet. In cute, quae strictiori sensu dicitur, innumeri nervi et vasa sanguifera subtilissime pertexuntur. Rete vero, quod Malpighi dicitur, et epidermis, et vasibus sanguiferis et nervis carent, id quod viri in anatomica praecellentes satis demonstrarunt. Utraque enim lamella ex cute stricte sic dicta orta est, ita, ut natura earum lamellarum plus habeat anorganici quam organici. Intexi quidem sunt sub his lamellis innumeri nervi ac vasa sanguifera, sed non ad has pertinent, quae quasi idem in corpore humano valent, quam in corpore conchyliorum conchae. Transitum quasi faciunt vitali organismi ad res externas anorganicas, et eam ob causam eandem fere vim in hominibus, quam conchae in conchyliis habent. Sed in organismo subtiliorum animantium haec tectura non poterat non tenuior quaedam esse, et propter physiologicum ipsius finem, cum rebus extraneis pervariam quandam vicissitudinem habere debebat. Quamobrem epidermidis structura omnino subtilior et pervariis muneribus aptior, quam

conchae conchyliorum est. Hae enim quae dixi, incolis suis nonnisi tegmenti loco esse videntur, quo quae extrinsecus veniant, propulsent atque defendant; quodque tegmentum eandem ob causam rudius et firmius esse debebat. Animali vero perfectiori natura, aptior quaedam et habilior tectura, tributa est, mitis scilicet et flexibilis cutis. Quasi pro reliquiis anorganicis extremae duae habendae sunt lamellae. Ita tamen primaria vis magis magisque evanuit, quo rudi tegumento essent, ut jam novis praestantioribus organicis muneribus, ut et inhalationi et exhalationi inservire, et extrinsecus ad nervos effectiones omni modo traducere possint, ita tamen, ut ipsae nonnisi patientes quasi, transitui et exitui rerum subtiliorum inserviant. Epidermis telae corii quoddam genus est, rete Malpighi ex muco et pigmento maxime effectum. In utroque nec sanguinis circuitum, nec proprium nervorum complexum invenies , ex quo intelligitur, organicam perfectam utrique deesse vitam. Quibus ita constitutis, ut et nervos et systema sanguinis effectores inflammationis esse contendamus, neque in epidermide neque in rete Malpighi ejusmodi inflammationem locum habere, jure opinamur. Sententiam igitur nonnullorum scriptorum, ita rejiciendam esse putamus, qui in rete Malpighi erysipelatis sedem quaesiverunt. In tali enim, ut ita dicam, solo,

cum rebus anorganicis cognatissimo, tam perfecta organica creatio, ut est inflammatio, fieri non potest. In sola cute igitur stricte sic dicta, propria erysipelatis habitatio quaerenda videtur.

Erysipelatis divisiones, quae ad varias rationes factae sunt, ad sanandum erysipelas vix in praxi tantum valent, quantum valere viris doctis visae sunt. Prae ceteris omnibus practico medico hoc maxime judicandum erit, num erysipelas ex internis organismi conditionibus fontem habeat, ita ut externa quasi species sit mali interni, an externis rebus profecta, unum tantum morbi locum in cute habeat. Quamquam multis in casibus perdifficile erit, discrimen hoc certo satis invenire, utrisque causis saepe una valentibus. Ceterum et constitutio corporis, et aegrotantis conditiones, et causarum exquisitio sincere respectae, plerumque ad veritatem perducent, et ad rectam diagnosin constituendam adjuvabunt. Innumerae cum experientia factae observationes id docent, erysipelas in longe plurimis casibus ex impeditis bilis muneribus, ex haemorrhoidum et menstruationis anomalia enasci.

Erysipelatis curatio a viris clarissimis tam egregie est exposita, ut equidem novi aliquid ac melius addere vix possim.

His igitur praemissis ad morbi certi enar-

rationem transeo, quem observandi occasionem habebam. Fusius maxime de mentis muneribus dicam ab erysipelate impeditis, corollarii loco id addens, quoniam erysipelas adhuc non satis sufficienter eo consilio est tractatum, ut frequentes animi perturbationes inde explicarentur; quamvis altera ex parte satis notum est, quantopere in psychicis affectionibus organa cholopoetica una laborent.

Historia morbi.

C. L. viginti duos annos nata, innupta, debilioris valetudinis, habitu macriori, infans rhachitide laboraverat, seriori vero aetate praeter proprios infantum morbos, gravius non aegrotaverat. Ab anno inde duodevicesimo legitime ac secundum ordinem menstruaverat. Per plures annos cum diligentia ac assiduitate famulae vices praestiterat. Jam e tenerrima aetate irritatiori erat indole et rixosa, et in omnibus quae agebat obstinacitas quaedam conspicua erat. Qui animus iracundus etiamnunc ejus proprius erat, saepiusque ingenio suo ita indulsit, ut fratres et sorores conviciis obrueret.

Inter laborandum, manus eam partem, quae inter digitum indicem atque pollicem intercedit, paulisper contuserat, deinde aqua per-

frigida conclave quoddam purgaverat, madidasque manus a vento frigido perflante non defenderat. Locus ille cum tumesceret atque doleret, die vicesimo secundo Decembris anni MDCCCXXXVI medelam quaesivit. Tumor a pollice inde ad carpum et porro processerat, rubro erat colore et impressis digitis candicabat, item distentus et maxime sensibilis erat. Aegrota non multum febri sed duos jam dies obstructione alvi laborabat. Transspiratio in cute et secretio in tractu intestinorum ut revocaretur, Salamarum et Tartarus emeticus refracta dosi aegrotae praescripta sunt. Extemplo erysipelas cognitum, ipsumque ad hanc normam curatum est. Medicamento vomitorio opus esse non videbatur, quum malum quantum nunc cognosci poterat, externis tantum ex causis erat ortum. Praeterea calida eaque arida fomenta imponebantur.

Die XXIII mensis Decembris aegrota se vehementer dolere dixit, maxime in profundis partibus inter pollicem et digitum indicem intercedentibus; vesperi febris exorta est. Quae cum ita essent in sententiam incidi, in profundas partes petere inflammationem. Quod ut statuerem, faciebat adauctus rubor et tumor, et in hoc loco fixus dolor. Febris nonnunquam recurrebat, nec alvus soluta erat. Quamobrem praescripsi: Sal. mir. Glauberi interne, et hirud. medic. N. II loco descripto

applicandas. Medicus, cujus auctoritate aegrotae opem ferebam, quem hac de re consulebam, id de hirud. medic. non comprobabat, quod febrem et dolorem consueta curatione erysipelatis, sanguine non detracto, pelli posse arbitrabatur. Itaque arida tantum fomenta amplius continuata sunt.

Die XXIV Dec. alvus soluta est, in loco autem aegrotante fluctuatio animadvertebatur, ita ut equidem non dubitarem in hunc locum incisionem facere. Non sane multum puris profluebat. Etiam febris et dolores remittebant continuo, et ad phalangem solum pollicis, tumoris adhuc atque doloris aliquid remanebat.

Die XXV Dec. suppuratio recessit, aegrota melius se habebat, cibi appetentia hoc tempore non sane multum distabat ab edendi cupiditate alio tempore ei propria; attamen in universum non multum cibi sumebat.

Die XXVI tumor et dolores evanuerunt, nisi quod unus locus adhuc paululum affectus erat. Aegrota se a morbo recreatam putabat. Sed difficili erat animo atque morosa satisque irritabilis et ad miras quasdam cogitationes propensa; id, quod jam prius, quamquam non ita multum, in ipsa observatum erat. Quum certa praeterea curatio non sane necessaria videretur, manum calidis pulvillis, arido furfure impletis, circumdari jussi, tamdiu donec tu-

mor atque dolores omnino evanuissent. Ceterum ipsa medicam curationem non amplius desiderabat.

Primo die Januarii anni MDCCCXXXVII denuo advocatus sum. Puellam delirantem inveni, pallidam ac inquietem. Ita affecta nonnisi patrem ac me recognovit, matrem, fratres, ac sorores alienos putavit homines infestos ac hostiles. Tota vero ejus agendi ratio impatientiae ac pertinaciae mirum quid habebat. Ante omnia igitur manum aegrotantem inspexi, quam ut brachium etiam in inferiore parte tumentem ac rubram inveni. Supra carpum tumor ambitu durus ac nitens observari poterat, qui locum obsederat, quo tendines manus flexorum sunt. Tumor ruber admodum nonnisi in uno minutiori loco vix fluctuans. Quamquam fluctuatio illa non satis aperte conspiciebatur, alia tamen indicia erant, adesse abscessum quendam, qualia sunt, quod febres horrorem interdum faciebant, quod pergravis erat manus, quod dolores quasi pulsabant. A pondere puris deinde id profectum esse opinabar, quod nervos afficeret atque irritaret. Quam ob causam apud me statui punctione facta quam celerrime pus evacuare. Per punctionem vero, non quemadmodum exspectaveram pus, sed uncia circiter una sanguinis venosi effluxit, id quod me in arte medica tironem primum perturbavit, et in morbo dijudicando dubium reddebat. In-

terea puella delirare pergebat, sanguinemque innocentem ac purum ipsius saluti esse profusum dicebat et quae id genus alia fuerunt. Effluxus sanguinis sponte sistit. Pulsus parvus, durior ac frequentior, oculi circumvagantes, alvi tamen et urinae secretio legitima. Item antea pauloque ante, quam morbus recidivus factus esset, ordine consueto menstrua fuit. Quantum ex propinquis cognovi aegrota rarius dormitabat, nec longe, somniisque ac deliriis perturbata. Quae cum ita essent, medico, qui hujus puellae curationem mihi demandavit, rem retuli, petiique ab eo ut puellam ipse viseret. Quod cum fecisset, decoct. capit. papav. ei sumendum praecepit. Is enim morbi naturam in hysterismo positam esse, et animi affectiones partim inde, partim ex irritatione cum morbo illo conjuncta, explicavit, partim querelas puellae non satis veras, sed nimis auctas esse putavit. Nec simulationis suspicio tam longe aberat, quum puella in medio delirio saepe nec opinato de rebus occurrentibus recte judicaret.

Tertio die Jan. mane statum morbi haud meliorem inveni. Aegrota paululum dormiverat sed inquiete, in somnoque et in vigilando deliraverat. Omnino excitata et pertinax erat, nec ulli, nisi mihi, obsequium gerebat. Tumor etiam nunc ruberrimus erat et ardens; pulsus qualis hesterno die. Secundum eam quam

medicus fecerat morbi dijudicationem, aegrota ut hysterica tractata est, et Infus. Valer. ℥vß cum Aq. amygd. amar. concentr. ʒjj et Syrup. Foenic. ℥ß interne, externe autem fomenta sicca adhibita sunt. Sed conditio aegrotae magis magisque pejor facta, perturbatio animi non remissa, quamvis erysipelas nec in meliorem, nec in pejorem partem versum esse videretur. Pulsus idem atque prius, nec febris admodum conspicua erat. Per totam noctem, quum inquieta maxime fuisset aegrota, equidem mane eam summa ecstasi affectam inveni. Ex ea quum quaererem, num doleret brachio, negavit, addiditque se hac ipsa nocte angelum factam satisque constare angelos nullo dolore affici. Narrat sanguinem, quem sibi eripuissem, a salvatore adsumtum esse, ut manus eo lavaret, eumque sanguinem deinde angelis bibendum datum; etiam Deum sibi visum esse, dicentem, me angelum sibi conservatorem esse, qui se a malo sit liberaturus; se praeterea hac nocte ex homine angelum factam, ex angelo vero in Fringillam canariam mutatam, quae sibi ipsi jucundos cantus praecinerit. Deinde narrat: Fringillam in flammam transiisse, quae flamma angelica ipsius fuerit flamma, quae sibi per totam noctem praeluxerit, ita ut dormire non potuisset; tum a se imperatum esse flammae, ut extingueret, quo facto se in somnum incidisse. Has aliasque ejus generis imagines

maxima linguae cum volubilitate proferebat, eaque dialectu, quae cultorum hominum propria est, licet prius plebejo tantum sermone usa sit *). De cordis nimia pulsatione quaesta est, ejusque rei causam hanc addidit: ab amica capillos sibi dono datos esse, quos auro pertexuerit; cor autem ipsius margaritam esse pellucidam, quam capilli auro pertexti incluserint, et id ipsum sibi angorem facere. Erga me mira quadam mollitie animi ac verecundia fuit, quamvis in suos et maxime sororem, absente me, copiam conviciorem conjiceret. Tumor prius ruberrimus, nunc magis e rubro candicabat et in ambitum crescere videbatur; tactu nimis sensibilis erat, et phlogosis majorem vim cepit. Attamen in loco aegrotante medio nonnisi fluctuationem obscuriorem animadvertere poteram. Hoc, quod ultimo loco dixi, rursus cogitationem meam ad hanc rem intendit. Quare, quamvis in universum puella non magna sane sanguinis copia pollebat, tamen, propter in-

*) Id quod imagines puellae animo obversatae maxime ad religionem pertinebant, ex ea verisimiliter explicandum est doctrina, quam adepta fuerat. Disciplina enim ad religionem spectans, paene unica scientiae pars est, quae ad plebejas homines transferri solet. Quodsi igitur animus in tali homine quodam praeter naturam irritatus fuerit, in iis maxime occupatus erit rebus, quae ingenii cultum ejus communem attinent. Quo fit ut de Deo et salvatore ideae, et poetica illa veteris ac novi testamenti lingua, talibus hominibus prae ceteris locum habeant.

flammationis diffusionem, antiphlogistica sanandi ratio necessaria visa, et concedente medico qui antea aegrotam mecum visitaverat, in tumoris circuitu sex hirud. medic. applicatae sunt. Nonnisi per meam praesentiam id effectum est, ut aegrota tam diu quieta maneret. Hirudines medicinales satis sanguinis suxerunt, et satis etiam deinde effluxit sanguinis. Tum quietior facta est, dormitabat repetitis vicibus. Vesperi maxima cum festinatione mater venit me vocatura. Quum advenissem aegrotam lingua destitutam, tremulantem maxilla inferiori, inveni; spumas ore agebat; respiratio difficilis et aucta; pulsus debilis ac difficilis tactu; oculi clausi; oris color pallidus; facies sudore frigido tecta. Accuratius cum inspexissem puncta, ab hirud. medic. effecta, quamvis boleto igniario imposito, et fascia modice adstricta, uncias fere sex sanguinis adhuc occulte emisisse animadverti. Cruor in massas quasdam coagulatus, sed sanguinis effluxus jam sedatus.

Dabam continuo ipsi intervallis brevibus tincturae Valerianae aether. guttulas duodenas, quibus sumtis aegrota ad se rediit, animumque recepit. Loquuta est quamvis animo adeo non excitato, tamen perverse. Deinde in lectulum reposita, et remedii usus continuatus est.

Quarto die Jan. mane aegrotam non sane inquietam inveni. Paululum requieverat ac saniora etiam loquebatur, interdum tamen per-

versa quaedam intermiscebat. Rubor partis affectae qualis hesterno die fuit, non amplius conspicuus erat, nec ruboris idem ambitus. Locus tamen tumoris satis sensibilis tactu erat. Fluctuatio, de qua prius dixi, ne nunc quidem apparebat. Aegrota non sine appetentia cibi, panem album et lac comedebat, et per totum diem omnino quieta erat. Appropinquante vespero propter incendium exortum magni tumultus fiebant, quibus continuo vehementer commota est aegrota. Denuo furere incepit, insana multa loquebatur, clamabat, et cum brachio integro et pedibus perpetuo movebatur, aegrotans tamen brachium alterum quietum loco tenebat. Canebat etiam sed semper eodem modo versus male procusos, partim ad propinquos, partim ad religionem pertinentes. Plerique sensu omni carebant. Conditio aegrotae, quum magis magisque deterior et atrocior fuerit, parentes admodum anxii me multa nocte advocarunt. Puellam in ancipite sane statu inveni: circum se feriebat; ad nullam quaestionem responsum dabat; gesticulabat admodum, et spumam agebat ore. Pulsus durior, parvus, et frequens erat. Neminem praeter me et patrem cognovit; summa pertinacia erat, nec mihi quidem obsequium habebat, quin me ferire etiam conata est. Quae cum ita essent, apud me statui, fortiori vomitorio dato, capitis affectiones depellere. Quod eo majori jure

facere me posse putabam, quum omnia in morbo momenta adhuc satis demonstrassent, erysipelas quidem externis causis ortum, sed aperte tamen interna valetudine ali. Dabam igitur Tart. emet. gr. vj in Aq. dest. soluta rite sumendum. Grana V cum sumta essent vomere coepit, plures sedes secutae sunt. Jam vero quieta facta, pauca loquuta et ad mane in somnum perlapsa; simulac vero expergefacta, continuo in pristinum statum recidit, in quo usque ad meridiem perseverata est. Quae omnia ad medicum retuli, qui, quod datum erat, probabat, et remedium illud, nempe Tinct. Valer. aether. amplius dandum censebat. Ad meridiem, quum aegrotam visitarem, quietior facta erat, et guttas illas sumere recusavit, quippe quae vehementem aestum efficerent. Quare remittendas eas jubebam. Jam vero non sine magno gaudio reperi, tumorem apertioris omnino fluctuationis notas gerere, quae res, id quod prius senseram, inflammatis scilicet et intumescentibus partibus aponevroticis, et serius collecto et urgente pure, animi affectiones illas per consensum provocatos esse, satis confirmare videbatur. Abscessus cum celerius maturescere videretur, naturae conatum calidis impositis fomentationibus ex lacte et mica panis albi effectis adjuvi. Praeterea Tart. emet. refracta dosi cum Infus. flor. Samb. praecepi. Jam vesperi abscessus ruptus est, ac magnam puris bonae indolis copiam

emisit. Aegrota ab hoc tempore quieta facta est et per noctem paene totam tranquille dormivit. Expergefacta nonnisi interdum perverse loquebatur, ceterum miro modo sensibilis et irritabilis erat. In tumore dolor adhuc sentiebatur, quum leni pressu in profundo collectum pus evacuare conarer. In circuitu loci affecti durities quaedam adhuc observabatur, quare calidas fomentationes non intermittendas, et quum alvi obstructio accederet, equidem diaphoreseos causa, Sal. amar. cum Tart. emetico refracta dosi sumendum curavi. Ita quiete aegrota dormivit, cibi appetentia non omnino deerat.

Ab hoc inde tempore usque ad undecimum Jan. diem per suppurationem percontinuam magis magisque durities loci mollita est, item animi perturbati vestigia magis evanuerunt. Functiones corporis omnes legitime processerunt, et manus et digiti denuo mobiles facti. Jam vero Aqua vegeto mineralis Goulardi calida imposita est. Quae per octo dies cum facta essent, abscessus consanescebat. Manus et jam mobilior erat, quamvis in regione tendinum flexorum duritie quadam permanente.

Et mens et corpus ita quum reconvaluissent, aliquantum temporis post, munera sua, ut prius, puella administrabat.

Morbi tale exemplum id est, in quo externae causae erysipelas provocarunt, interna

vero in organis cholopoeticis et chylopoeticis vitia, malum et adjuverunt et sustentarunt. Exercitatior quaedam, quam quae est tironis, scientia et cognitio, prius fortasse ad certam aegrotae constitutionem respiciens, veram mali originem divinasset. Sine dubio etiam vomitorium prius datum, et profundior in tumorem incisio, seriores miseros casus prohibere poterat. Incisio enim illa, quam feceram, quamvis natura morbi recte cognita, tamen non satis profunda, nec, ut serius cognovi, ad sedem usque puris producta erat. Non satis igitur sufficiens curatio bonum eventum impedivit. Sed tamen, si morbi dijudicandi difficultatem respexeris, errori facilius veniam dederis.

Theses.

I.

In morbis longe plurimis victus potius, quam medicamentorum est habenda ratio.

II.

Liquore Amnii foetus alitur.

III.

Affectus animi maximi momenti sunt in morbis sanandis.

IV.

In rete Malpighi et epidermide vasa sanguifera ac nervi ipsis proprii non inveniuntur.

V.

Caro luxurians non lapide infernali et caustico, sed aqua frigida optime removetur.

VI.

Studium in literis occupatum sanitati maxime obesse videtur.
